

reformationibus, & etiam Statutis, vel legibus contrariis non obstantibus.

De debito pluries non solvendo.

C A P. XXI.

Quia bona fides non paritur, ut semel exactum iterum exigatur, iccirco qualitercumque creditori per debitorem solutum fuerit, vel etiam satisfactum de debito, aut obligatione contracta, teneatur creditor pœna xxv. lib. denar. solvenda Comuni ad omnem petitionem debitoris in iudicio fiendam ipsi debitori reddere instrumentum obligationis, de qua satisfactum esset; eidem finem, & quietationem facere cum rogatione Notarii. Et regimen talem creditorem ad prædicta compellat summam, & de facto præcise, & nihilominus cum dicta pœna condemnet, si à debitore fuerit accusatus; pœna officialis contrafacientis xxv. lib. denar. de suo salario, & hoc Statutum sit firmum, & præcisum, & locum habeat in præteritis, presentibus, & futuris.

*Quod quilibet teneatur rogare Notarium de promissis,
& ante gestis parte petente.*

C A P. XXII.

Unusquisque, qui cum aliquo contraxerit, seu aliqua, vel pactum, vel obligationem fecerit, aut promissionem, vel etiam quietationem, liberationem, absolutionem, vel remissionem de aliqua obligatione, vel debito, vel aliqua cujuscumque rei quantitas, vel conditionis conventionem fecerit, siquidem hæc licite, ac legitime processerint, vel facta fuerint, de quibus, vel altero quorum non fuisset rogatus Notarius, nec scriptura confecta, teneatur, & debeat tenoris præsentis ordinamenti ad petitionem alterius partis, quæ cum eo, seu ea contraxerit, vel aliquam obligationem, pactum de prædictis fecerit, non obstante præcedenti conventionem, factionem, vel actu, iterum, & de novo ipsam obligationem, pactum, promissionem, quietationem, vel alium actum de prædictis licite, & legitime factum refirmare cum rogatione Notarii, & de ipsis, vel alte-

altero eorum rogare publicum, & legalem Notarium. Itaque ejus rei, vel facti perpetua memoria conservetur, & regimen ad petitionem partium cujuscumque possit, & debeat alteram, seu alteras partes opportunis remediis cogere ad prædictam faciendum, implendum, & executioni mandandum summam, & de facto, dummodo iterum ille actus non fuerit in totum, vel in partem sopitus, sublatum, vel aspiratus satisfactione, vel temporis cursu, aut alio legitimo modo, quo casu prædicta non vendicent sibi locum, & dum tamen de prædictis legitime constiterit, & hæc lex valida sit, & effectum habeat in præteritis, presentibus, & futuris.

De donationibus.

C A P. XXVIII.

Ad evitandas fraudes, quæ consueverunt fieri in contractibus simulatis, statuimus, quod si quis donationem facere voluerit inter vivos cujuscumque quantitas, vel rei, ipsam donationem facere teneatur, & debeat coram Potestate Terræ Montis Sancti, vel Vicegerente, seu Judice, presentibus non paucioribus duobus Notariis publicis, & legalibus de Monte Sancto, quorum unus scribat, & alter subscribat ipsam donationem, & cujus instrumento rogandis, & quinque testibus de Monte Sancto bonæ oppinionis, & famæ, qui ipsos contrahentes tempore ipsius donationis cognoscant. Aliter autem facta donatio nulla sit, & invalida ipso jure, & facto, & hoc Statutum locum habeat in præteritis, presentibus, & futuris.

De rebus noviter acquisitis in apretio aponendis infra biennium.

C A P. XXIV.

Quæcumque persona rem aliquam rem immobilem donationis titulo, aut venditionis, cessionis, transactionis, permutationis, seu alio quocumque titulo accepta fuerit, seu acquisiverit, teneatur, & debeat ipsam rem de apretio alienantis levare facere de catastro Communis, & poni in apretio suo, & possessionem ipsius rei apprehendere de licentia Rectoris Terræ Montis Sancti, & post ipsam apprehensionem continuo possidere, nisi in alteram personam dominium,

nium, seu possessionem transferret, & hæc omnia fieri debent scientes eo, qui alienaverit, & in vita ipsius, vel requisito legitime ad proprium actum, vel saltem infra duos annos, à die alienationis factæ, semper tamen ad hæc requisito alienante, vel hæredibus, aut successoribus ejus. Quæ omnia si facta non fuerint, tunc ipso jure talis donatio, venditio, cessio, permutatio, transactio, & alienatio facta, sit irrita, & inanis, tanquam simulata, & fictitia vigore præsentis Statuti; præsumpta, immo habita nullum pœnitentis sortiantur effectum, non obstante quod alienans in contractu alienationis se constituit præcario nomine possidere illa; vel aliquam ab eo rem conduxerit ad certam pensionem, pecuniam, rem, vel partem.

De debitore suspecto capiendo, & de sequestratione rerum ejus.

C A P. XXV.

SI quando aliqua persona de Monte Sancto, vel habitans ibidem vel in ejus territorio, & districtu comparuerit coram Potestate, vel Vicario, seu Judice nostri Comunis dicens se habere debitorem suspectum in Monte Sancto, vel ejus districtu non possidentem bona mobilia, & talis creditor juraverit corporaliter tactis scripturis talem ejus debitorem esse dictæ conditionis, & fore suspectum, & fugitivum, & de ipso debito fecerit aliquam summariam fidem Judici, sive officiali, & in absentia debitoris prædicti, sine solemnitate juris, & judicii, Rector, Judex, seu officialis prædicti teneatur, & debeat vinculo juramenti, & pœna xxv. lib. denar. de salario ad petitionem talis creditoris committere bajulo Comunis, seu familiæ quod vadat, & talem debitorem requirat. Nolentemque sponte, aut differentem venire, capiat, & compellat, & ad comparandum coram eo ipsumque debitorem in loco tuto coactum detineri faciat, nec relaxet, nisi personæ sufficienter, & caute per pignus, vel fidejussionem, seu idoneum promissorem satis dederit deftando juri in foro nostri Comunis, et alibi, ubicumque conventus fuerit, et de solvendo tali creditori quicquid ei dare debet, vel facere fuerit judicatum, quo casu statim relaxetur, et agatur in Judicio quæmadmodum inter alias personas non suspectas. Interim autem talis debitor existendo detentus audiatur in sua defensione, qua diceret, et probaret se non teneri, quo casu liberaliter relaxetur;

ubi

ubi vero res alicujus suspecti, vel fugitivi debitoris, vel alicujus forensis, aut personæ non possidentis immobilia in dicta Terra, vel ejus districtu pervenerint, & reperirentur in ipsa Terra, vel ejus districtu, & aliquis terrigena, vel habitator simili modo comparuerit coram nostro regimine, & aliqualem fidem, vel debitorem Judici fecerit de aliquo debito contra dictum forensem, cujus forent dictæ res, & juraverit, ut dictum est, petieritque ipsas res, vel aliquam ipsarum sequestrari, & detineri pœnes idoneam, & legalem personam de Monte Sancto, tunc regimen mittat unum Notarium publicum, & legalem, & unum de Bajulis Comunis, qui Notarius dictas res, vel rem diligenter scribat duosque Bajulos ipsas res, vel rem valentes, seu valentem bene quantitatem debiti, & expensis sequestret, & assignet, & recomendet pœnes idoneam personam non attinentem tali creditori ad petitionem creditoris, & in præsentia non minus trium testium idoneorum, quæ omnia per dictum Notarium inde rogatum conscribantur, & ille pœnes, quem dicta sequestratio facta fuerit, teneatur, & debeat ipsas res, vel rem sequestratas bene, & diligenter salvare, & custodire tanquam suas, & nulli partium dare, nec alienare expresse mandato regiminis. Regimen autem si viderit tale debitum esse solum, satisfactum, vel sublatum, aut non legitimum, faciat tale sequestrum tolli, cassari, revocari, & in pristinum statum reduci, ac etiam quando talis debitor pro liberatione talium rerum simili modo caverit, & satis dederit.

De Forense volente agere contra terrigenam.

C A P. XXVI.

Persona forensis non habitans in Monte Sancto in aliqua domo propria, vel conducta, vel ejus districtu, & non possidens immobilia bona, vel etiam non subdita jurisdictioni nostri Comunis, volens agere, seu agens quæcumque, & qualitercumque in judicio contra Castellatum, vel habitorem nostrum, non aliter audiatur in jure, quam nisi primo, & ante omnia idoneæ caverit parti adversæ petenti reconveniendo in Curia Montis Sancti super causis instituendis ex adverso contra eam de reficiendo parti expensas legitimas taxandas per Judicem siquidem succumbat in causa, vel contingat injuste movisse litem, ac etiam damna, & interesse de solvendo quicquid

K

quid contra eam fuerit iudicatum in ipsis causis. Et si secus factum fuerit pro forense, vel ad petitionem ipsius agentis per se, vel alium, non valeat ipso jure. Volumus tamen quod dicta cautio in aliis diversis causis instituendis non extendatur, nisi infra mensem à die cautionis ipsæ causæ una cum plures fuerint institutæ, & Judex, vel assessor aliter procedens invita parte in libr. xxv. denar. puniatur.

Quod filia, seu neptes dotatæ non veniant ad successionem.

C A P. XXVII.

Hoc ædicto decernimus, & firmiter ordinamus, quod filia neptes, & deinceps singulæ mulieres descendentes dotatæ, seu nuptæ de bonis patris, matris, avi paterni, vel materni similium deinceps ascendentium, vel alicujus eorum, aut ipsarum mulierum nuptarum, seu dotatarum filii, vel filia ex ipsis mulieribus descendentes nullo modo possint ad bona maritantis, seu dotantis parentis, seu descendens decedentis ab intestato ultra sibi datam, promissam, vel relictam dotem aliquem habere ab intestato regressum, seu recursum ad successionem ab intestato venire in totum, vel in partem bonorum, seu hæreditatis parentis, seu ascendentis dotantis, seu nuptui tradentis siquidem ex ipso patre, matre, vel simili parente, & ascendente dotante, vel maritante extiterint, seu supervixerint filii, vel neptes, ex filio masculino, aut pro neptes, & deinceps uno, seu ex uno, vel etiam pluribus. Et intelligatur talis descendens mulier dotata, seu maritata de bonis hujusmodi ascendentis parentis, & ab ipso, si dos pro ea, vel pro matrimonio contracto, vel contrahendo cum ea extiterit dos promissa, & conventa, vel in ultima voluntate relictæ, seu legata, & quibusdam modis, vel verbis pollicita, vel numerata, sive in quantitate, sive in specie talis dos constituta, vel fuerit constituta in quacumque, vel quantacumque quantitate, vel specie, nec ad talem ab intestato successionem tales dotatæ mulieres, vel aliqua ipsarum aliquatenus audiantur, vel admittantur, sed potius repellantur, & esse, stare contenta tali dote eis, vel alteri earum promissa, data, vel relictæ modis omnibus teneantur, & compellantur precise vigore præsentis ordinamenti non obstante, quod eis, vel alteri earum deficeret, & minus adesset, & legitima portio juræ naturæ debita. Quæ quidem portio in tali casu

casu ex ipsa dote data, promissa, vel relictæ, & ex præsentis lege ipso jure, & facto intelligatur, habeatur, et præsumatur perfecta, plena, & omni supplemento completa, nec ad aliud supplementum, vel augmentum agi possit supradictam dotem, sed ipsa dote, ut dictum est, tales mulieres teneantur, & debeant esse contentæ, jure contrario non obstante. Et nulla talis mulier audeat, vel possit contra prædicta agere, impugnare, vel jus prætereendere. Et si secus fecerit non audiat, & ipso facto à jure suo cadat, & cecidisse intelligatur, & nihilominus in libr. quingentis denar. usualium puniatur. Ubi verò tali parenti, vel descendenti dotanti, vel maritanti, seu dotem promittenti, vel ut dictum est, relinquenti ab intestato decedenti non superfuerit, filius masculus, vel ex filio masculino nepos deinceps, sed tantum aliqua filia, vel neptis maritata, vel non, tunc aliæ maritatæ filia, vel etiam dotatæ possint, & debeant ab intestato successionem una cum aliis conferendo, & contribuendo suam dotem, quam receperat una cum aliis coheredibus, salvo semper legitimo testamento, vel alia ultima voluntate patris, vel matris, & similis parentis, seu ascendentis, siquidem aliter legitimis modis providerit dote data, vel promissa non obstante, & prædicta omnia, & singula locum habeant, & observari debeant in præteritis, præsentibus, & futuris.

De Tutoribus, & Curatoribus dandis, vel removendis, & de eorum excusationibus faciendis, & de ratione reddenda.

C A P. XXVIII.

Quia publice utile, & misericordiæ opus est, pupillos, pupilulas, adultos, adultas, mente captos, furiosos, male administrantes, & de eorum bonis dissipantes, & hujusmodi miserabiles personas, paterna, & alia opportuna gubernatione distritos expedientibus remediis adjuvare, ideo post confirmationem præsentis ordinamenti infra mensem in concilio generali juxta deliberationem ipsius concilii eligantur quatuor boni homines, unus videlicet per quartierium, inter quos sit saltem unus Jurisperitus, & unus Notarius bonus, & legalis de Matricula Notariorum nostræ Terræ etatis xxx. annorum ad minus, qui electi statim præstito corporali juramento habeant, & habere debeant curam, sollicitudinem hujusmodi personalium

nalium miserabilium, & gubernatione indigentium diligenter in investigando de ipsis personis ubicumque sunt in Monte Sancto, & ejus districtu, & eorum nomina per dictum Notarium redigenda in scriptis, & eis, & cuilibet ipsorum singulariter per nostrum regimen de opportuna gubernatione tutoris, vel curatoris per eos eligendi, seu electi, faciant provideri, dum tamen semper de consanguinitate agnationis, cognationis, vel saltem affinitate in defectu agnatorum, & cognatorum si reperiuntur idonei, & sufficientes, vel etiam de aliis personis sufficientibus congruis, & idoneis, eligere teneantur, salva tamen tutela, & cura provisa, data, vel concessa per testamentum, vel voluntatem parentis, salvis etiam nihilominus justis, & legitimis excusationibus, non obstaculis tutorum, & curatorum infrascript. videlicet nostrum trium liberorum, vel alterius tutelæ, aut curæ generalis etatis minorum xxv. annorum, & majoris lxv. infirmitatis assiduæ, vel nimis gravis absentiae navigationis per tres menses continuos officii ire forensis per tres menses, vel ultra peregrinationis ad manifestam indulgentiam extra Italiam paupertatis bonorum à C. libr. den. infra, inimicitiae capitalis, crediti, quod haberet contra pupillum non vel adultum in quantitate C. sol. & legitimæ, atque evidentis causæ suspicionis dum tamen matrem, & aviam quibus, vel cui legitima tutela, vel cura competeret, excludere possit, et nullatenus nisi ex aliqua prædictarum causarum excusationis, vel suspicionis. Judex vero, seu regimen nostri Communis teneatur, & debeat pena L. libr. denar. ad petitionem dictorum quatuor electorum, vel majoris partis eorum quandocumque interponere partes suas ad prædicta, & infrascripta cogendo realiter, & personaliter singulos tutores, & curatores electos, ut dictum est non habentes excusationem aliquam de prædictis ad suscipiendum tutelam, & curam, atque administrationem ad quam fuerint per prædictos nominati cum satisfactionibus idoneis, & cauthelis omnibus debitis, consuetis, & necessariis, & suo decreto, & auctoritate eum seu eos confirmare, & eis administrationem concedere. Quibus autem tutor, & curator teneatur, & debeat mox quando creatus fuerit infra x. dies de bonis, rebus, juribus personæ ad cujus gubernationem assumptus fuerit existentibus alibi infra quinquaginta dies incepisse, & perfecisse inventarium in forma debita consueta. Et statim confecto inventario debeat, & possit administrationem per omnia exercere in judiciis, negociisque per se, vel actorem, aut Procuratorem

rem legitimum constitutum pœna tutoris, vel curatoris non observantis prædicta x. libr. denar. comuni applicanda, & nihilominus ad prædicta præcise compellantur ad damna, & interesse pupilli adulti, & simili persona teneatur. Et tamen tutelam, seu curam quam inventarium in publicam formam expensarum competentibus dicti pupilli infra duos menses post traditam, & subceptam administrationem producere coram dictis quatuor, & manu dicti Notarii ipsorum facere registrari in libro officii actorum ipsius Notarii, eidem Notario dando specialiter per Comune, in quo ipse Notarius omnia in prædictis, & infrascriptis agenda, seu acta, & producenda, seu producta seriatim fideliter, & diligenter conscribat, registret ad perpetuam comunis, & specialium personaliter memoriam expensis competentibus ipsorum tutorum, & curatorum de bonis eis commissorum personaliter; quibus scriptis, & registro in dicto libro scriptis in manu dicti Notarii, & ipsi libro publicato detur, & habeatur perpetuo per omnia plena fides, dum tamen copias, seu exempla tutelarum curarum inventariorum, & aliarum scripturarum productarum semper auscultata, & lecta diligenter constet per scripturam, & fidem ipsiusmet Notarii cum quo fuerit auscultatio facta subscriptis. Tutores autem, & curatores teneantur, & debeant pœna, & banno xxv. libr. den. in fine cujuslibet anni suæ administrationis post finitum annum infra x. dies, & nihilominus postea quoties per bandimentum, vel Nuncii fuerit requisiti personaliter comparere ipsi, vel eorum hæredes coram dictis quatuor, vel majori parte eorum cum introitibus, & exitibus, proventibus, fructibus, & expensibus suarum administrationum Prædictarum, & cum inventario rerum, & bonorum, & diligentem, veram, & fidelem rationem reddere de administratis eorum non obstante tali ratione reddita, vel reddenda possit, & debeat quilibet tutor, seu curator continue etiam postea administrare, sicut remoti, seu revocati. Dicti autem quatuor, vel eorum major pars, teneantur quolibet mense saltem per duos dies se simul convenire, & congregari in majori nostri Palatii Communis Sala se exhibendo, & curam, & operam dando ad hoc omnia exequenda, pœna xl. solid. denar. pro quolibet contrafaciente, & vice qualibet per nostrum regimen auferenda, & Comuni applicanda de facto. Rationem quoque omnium, & singulorum tutorum, & curatorum dicto tempore an-

ni finiti, vel tutelæ, aut curæ finitæ diligenter, & cum omni cauthela, & maturitate provideant, calculent, & perquirant, & quos, vel quem tutores invenerint male administrasse, vel alia ratione esse debitores pupilli, adulti, & similis personæ, scribi faciant per dictum Notarium in dicto libro, & clare condemnent, & condemnatos declarent. Quæ quidem condemnatio, & declaratio sit scripta, & facta valeat, & teneat pleno jure, & non obstantibus juribus, & inditiis substantialibus, & solemnitatibus omnissimis; dum tamen de veritate debiti, vel male administrationis legitime constet, & dum tamen tales condemnati fuerint eorum condemnationi præsentibus, vel saltem citati secundum formam nostrorum Statutorum. Et talem condemnationem, & declarationem teneantur executioni mandare per omnia opportuna sub dicta pœna, & dictis quatuor, & eorum officio dare auxilium, consilium, & favorem. Possint etiam dicti quatuor, vel eorum major pars singulos tutores, & curatores suspectos rationabiliter evidenter ex causa fraudis negligentia, vel male administrationis revocare, privare, & alios de novo eligere, & per dictum regimen simili modo facere confirmari, & subrogari, causis executionibus super expensis semper salvis. Et in prædictis omnibus, & singulis, & dependentibus, & emergentibus ab eisdem pro vigore ipsius officii exercendi, possint ex jurisdictione percipere, mandare, & pœnas, & banna imponere usque ad quantitatem xl. solid. inclusive, & nihilominus per regimen etiam majores pœnas induci facere, & executioni mandare pœnas per eos, vel majorem partem ipsorum impositas, seu imponendas Bajuli etiam Tubatores Communis pœna x. solid. per quolibet ipsorum salario, & qualibet vice, necnon testes, & aliæ personæ opportuna, quas dixerit pro dictis causis, vel aliqua ipsorum vocandas teneantur, & debeant eis, vel alteri ipsorum obedire, & coram eis comparere quoties fuerint requisiti. Eorundem quatuor officium, & jurisdictio prædicta duret per annum, & anno finito infra octo dies successive alii similes eligantur, & electi similem habeant auctoritatem officium, & jurisdictionem per omnia, tam contra tutores, & curatores antiquos, quam novos. Volumus tamen, quod ad prædicta omnia, & singula observanda dicti quatuor, & quilibet eorum possint, & debeant exigere, & compelli per regimen ad instantiam cujuslibet petentis, & ex mero officio sub pœna x. libr. den. pro quolibet, & qualibet vice, Statuto aliquo non obstante,

*De interdicta administratione, & alienatione minorum,
Prodigorum Mentecaptorum, vel Furiosorum.*

C A P. XXIX.

Providemus ad obviandum facilitatibus hujusmodi personarum, quod in omnibus, & singulis contractibus obligationibus, & alienationibus minorum xxv. annorum, necnon aliarum personarum prædictarum, & similiter male se gerentium, & dissipantium bona eorum, observetur, & observari debeat forma constitutionis curiæ generalis, qua cavetur, quod donationes, venditiones, alienationes, remissiones, cessiones, quietationes, quarumcumque rerum, actionum, & jurium sub quacumque forma contractuum, vel verborum à puberibus, seu adultis, & ab aliis infrascriptis personis factæ sine juramento corporaliter præstito, aut cum ipso juramento, atque etiam sine consensu duorum, vel trium proximorum consanguineorum si existant, & sine decreto competentis Judicis, & insinuatione facienda in actis cum quibuscumque Universitatibus, Collegiis, & Communitatibus, & quibuscumque personis specialiter fieri non valeant, nec aliqua liter celebrari, & si factæ, vel celebratæ fuerint, non servatis solemnitatibus omnibus supradictis, præsumantur, & fingantur dolose extortæ, & nullam obtineant firmitatem, & nihilominus talis contrahens cum aliquo prædictorum contra formam superius denotatam Judicis arbitrio puniatur. Decernimus insuper, quod in minoribus xiv. annorum furiosis, & mentecaptis intervenire debeat tutor, vel saltem curator una cum aliis solemnitatibus supradictis, & aliter non valeat ullo modo; & prædicta locum habeant in præteritis, præsentibus, & futuris. Ut tamen liqueat conditio dictarum personarum prodigarum, & male se gerentium, & dissipantium bona eorum, volumus quod quilibet Potestas in principio sui regiminis infra mensem vinculo juramenti, & pœna L. lib. den. inquisitionem formet, & faciat de dictis personis prodigis, dissipantibus, & male se gerentibus hoc modo videlicet, quod requisitis Confalonerio, & Prioribus, qui pro tempore erunt, & eis delato legitimo Sacramento faciat sibi dari, & nominari quatuor bonos, & fideles testes pro quolibet quarterio examinandos diligenter si quæ hujusmodi personæ essent in eorum quarterio. Et illæ per-

personæ una, vel plures, quæ per dictos testes, vel aliquem ipsorum fuerint affirmative declaratae, siquidem per duos consanguineos, vel vicinos cujuslibet eorum per ipsum officialem examinandos fuerint de prædictis vitiis, & conditionibus, vel aliquo eorum inculpatæ, facta postmodum declaratione per Potestatem, seu Vicarium, habeantur, & intelligantur jam dictæ conditionis, & vitii prædicti, de qua, seu de quo fuerint culpatæ, & cum eis aliquatenus contrahi non possit, nisi forma superius tradita, & hæc omnia teneatur Potestas facere redigi in scriptis in uno quaterno per manum sui Notarii extraordinariorum. Et ne quis per ignorantiam prædictorum lædi possit, teneatur Potestas, seu Judex dictas personas de dictis conditionibus, seu vitiis inculpatas facere statim bandiri, & publicata divulgari, & nemo audeat de cætero cum ipsis aliquam obligationem facere præter dictam formam, Excipimus tamen à prædictis illas personas quantumcumque minores, vel alias dictæ conditionis existant, quæ cum aliqua persona contraheret, seu contraxisset se obligando per pactum, vel promissionem ad serviendum pro familiari, vel alter cum persona sua ad servitium alicujus habitatoris Monti Sancti, necnon personas contrahentes in casu quo aliqua filia neptis ex filio, vel deinceps pacisceretur cum patre, avo, & deinceps de non habendo regressum ad successionem, & bona paterna quibuscumque obligationibus, vel speciebus contractuum. In quibus casibus supradictam formam locum volumus non habere, sed quod potius licite, & impune fiant, & valeant etiam omissa forma prædicta. Addimus supradicto Statuto quod omnes contractus, & obligationes dictarum debiliū personarum, vel alicujus earum, vel de rebus, & negociis ad eas, vel ad aliquem earum detangentibus, spectantibus, vel pertinentibus quoquo modo etiam quantumcumque legitimis modis, vel dicta forma, & solemnitate celebrata, seu celebratae fuerint in quibus, vel aliquo, seu aliqua eorum, seu earum ipsi minores, vel aliqua dictæ conditionis persona appareat læsa, aut decepta ultra dimidiam justi prærii, vel justi fructus, vel redditus, seu etiam justi, & competentis interesse ipso jure præsentis ordinamenti sint nulli, & nullæ, & nullius valoris efficacię, vel momenti. Et ad petitionem illius personæ læsæ ad sui tutoris, vel curatoris, aut attinentis infra quartum gradum, aut etiam alicujus ex quatuor bonis hominibus deputatis, vel deputandis ad habendum eam de dictis personis per formam Statuti proximi talis contractus, & obli-

& obligatio una, vel plures ex quo, seu qua dicta læsio pervenerit, aut resultaverit, per Judicem, seu Officialem nostri Communis tollatur, & annulletur, & revocetur etiam invita parte adversa summam, & de plano sine strepitu, & figura judicii, & pars adversa ad reficiendum, & resarcendum retro omne damnum, & interesse dictæ personæ deceptæ modis omnibus compellatur, & processus inde factus, vel faciendus valeat, & teneat pleno jure, non obstante solemnitate omissa, dum tamen de tali deceptione, & læsione constet Judici, vel Officiali saltem duorum fide dignorum testium probatione redigenda per scripturam in actis.

De Procuratoribus, & Defensoribus.

C A P. XXX.

Procurator, Tutor, & Curator, Actor, & similis personæ volens alieno nomine cum mandato intervenire ad litigandum, seu causandum in curia, & foro nostri Communis comparens ante omnia producat mandatum præsentis parte adversa, vel saltem citata secundum formam nostrorum Statutorum, quo producto statuatur parti dilatio trium dierum ad accipiendam copiam, & opponendum contra ipsum mandatum, nisi de consensu partium mandatum pronunciaretur legitimum infra quam dilationem siquidem exceptiones legitime oppositæ fuerint pronunciatur mandatum fore legitimum, exceptionibus in contrarium objectis non obstantibus, quo casu necnon dum nullæ exceptiones fuerint infra dictam dilationem oppositæ, Judicis pronunciatio, sive legitimatio facta de persona, vel mandato, valeat, & teneat contra talem personam pronuntiatione Judicis legitimatum nil possit opponi, nec contra mandatum ipsius, vel personam dñi. Sed potius præsentis ordinamenti vigore pro legitimis, plenis, & sufficientibus modis omnibus habeantur, nisi causa nova emerferit, quæ tempore pronuntiationis non extiterit, quo casu si nova exceptio fuerit opposita, tunc etiam de novo de persona, & mandato quæraturo modo, & effectu simili, ut dictum est. Ubi vero absque mandato aliquis conjunctus usque ad tertium gradum consanguinitatis, vel affinitatis inclusive, & maxime filius pro patre, & contra etiam in potestate positus vir pro uxore, & similes ad agendum, vel defendendum pro conjuncto, vel conjunctis inter-

intervenire voluerit, admittatur, & admitti possit, & debeat, & legitimus reputetur statim præstita satisfactione de iudicio Sixti, & iudicato solvendo, & de rati habitatione illius personæ conjunctæ pro qua intervenire voluerit, lege aliqua in contrarium non obstante. Si autem aliquis extra dictas personas aliquam personam defendere voluerit, & ut defensionem se obtulerit admittatur, & audiatur, præstita idonea satisfactione simili, & legitima, & semper talis defensor intelligatur juvandi animo in se iudicatum suscepisse. Et si contingat in casu succumbere, possit, & debeat contra eum fieri executio tanquam contra principalem, jure, lege, vel Statuto contrario non obstantibus, & nulla contraria exceptione audita. Excipimus tamen à prædictis etiam declaramus, qui ad agendum, vel defendendum pro aliis in dictis, foro, & curia nullus admittatur, vel audiatur, qui non foret de iurisdictione nostri regiminis, & comunis, et qui non possit coram nostro regimine civiliter, & criminaliter conveniri. Et si secus fecerit, vel actum fuerit non valeat, nec teneat ullo modo, præcedenti Statuto, vel alio jure contrario non obstantibus.

De actione non cedenda Forensi.

C A P. XXXI.

Actionem aliquam, vel jus contra nostrum terrigenam, vel habitatorem alicui forensi nemo cedat, pena, & banno xxv. libr. denar. pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, & nihilominus cessio secus facta nulla sit, & juris vacua, atque irrita ipso jure. Cedensque teneatur terrigenæ contra quem cesserit damna omnia, & expensas, ac interesse de suo proprio relarcire, quæ substituisset occasione hujusmodi cessionis, nisi cessionarius in quem cessio facta esset, ex ea cessione, & jure ipsius experiretur in curia Montis Sancti, & coram Officialibus nostri Comunis in totum, & à principio causæ, usque in finem inclusive, quo casu suprestita dispositio nullitatis, & penæ locum non habeat, sed potius cessio cum omnibus accessoriis ejus remaneat in dispositione juris, hoc Statuto non obstante.

De

De principalibus conveniendis, & de indemnitate fidejussorum.

C A P. XXXII.

Principalis debitor, & is pro quo, & cujus causa, seu gratia fuerit obligatio contracta in civili causa, vel in criminali, priusquam in fidejussore, & is qui accessorius in obligatione fuerit, conveniatur, & fiat prius executio contra eum; & in bonis ejus, qui fuerit accessorius, vel fidejussor, si se principaliter obligasset. Facta tamen executione contra principalem siquidem inventus fuerit non solvendo, & personaliter haberi, vel cogi non possit, fiat executio in personam boni fidejussoris, seu accessoria obligati, usquequo creditor fuerit integre satisfactum, habeat tamen dictus accessorius, vel fidejussor regressum contra principalem debitorem non solum ad debiti quantitatem, sed etiam ad damna omnia, & expensas, ac etiam interesse, quæ, & quas sustinerit occasione prædicta. Et rector executionem realem, & personalem de his facere teneatur ad petitionem legitimæ personæ petentis summarie, & de facto sine omni libello, & scriptura, ac sine strepitu, & figura judicii, & omni juris solemnitate, & substantialitate omissis. Teneatur quoque principalis ad petitionem jam dicti fidejussoris, sive accessoris tam ante solutionem, & executionem factam, quam post ipsam, conservare indemnem, & conservatione indemnitis per ipsum cavere de tali obligatione facta. Et rector viso instrumento conservationis indemnitis, vel alio in quo, vel aliquis recognoverit debitum principalem rei suum esse, sive habita de hoc per aliam probationem siue legitima simili modo summatim, & de facto executionem facere possit, & debeat contra ipsum principalem, & ad plenam satisfactionem ejus, qui pro se fuerit obligatus. Et tale instrumentum conservatio indemnitis, & similis cautela habeatur pro plena, & legitima probatione etiam contra creditorem principalem, quo ad effectum, & formam hujus Statuti.

De

De pactualibus ser-vientibus, & famulis, & eorum mercede, & questione ipsorum.

C A P. XXXIII.

Quandoque de aliqua causa, vel contentione, quæ foret inter aliquem patronum, seu dominum ex una parte famulum, seu servientem pactualem, vel ex altera occasione servitii operis soldi, vel mercedis, aut temporis, vel alicujus pacti, aut facti, seu casus, vel negotii spectantis ad ipsum servitium, vel dependentis, aut emergentis ab eo, vel à patronatis, & famulatu, interque eos habito, vel habendo, & maxime occasione pacti observandi temporis perficiendi, vel restituendi mercedis, vel soldi solvendi, aut alicujus defectus inter eos commissi, vel damni occursi dolo, vel negligentia, & aliis similibus causis, & occasionibus in prædictis, & circa prædicta controversia coram nostro regimine verteretur, auctoritate, & vigore præsentis ordinamenti in hujusmodi causis, & questionibus, & qualibet ipsarum, procedatur, & procedi possit, & debeat, tam in cognoscendo, quam in dicendo summam, & de plano, sine omni strepitu, & figura judicii, & quibuslibet temporibus, & diebus, & processibus, & pronuntiatio inde factus, & facta valeat, & teneat, non obstantibus substantialibus solemnitatibus prætermisissis dum tamen de veritate eorum, quæ in causis deducta fuerint constet legitimis modis. Providemus insuper quod pactuales, & famuli servientes, & similes personæ, quæ alicui, seu aliquibus per quantumcumque tempus servire, seu ad servitium, seu opus alterius morari convenerint, & promiserint, teneantur, & debeant prout, & sicut convenerint, & promiserint integre, & sine interruptione, & diminutione observari facere, & executioni mandare, ut de patroni, vel domini processerit voluntate, et nullam partem temporis, vel servitii detrahere, vel auferre. Et si secus fuerit ipsi, vel aliquis eorum si contra voluntatem patroni, vel domini non expressæ consensientis pro quolibet spatio temporis subtracto, vel diminuto talis subtrahens, vel diminuens teneatur, et debeat restituere damnum temporis, et servitii similis, et qualis subtracto ipsi domino, vel patrono sine mora duos Anconitanos pro qualibet die subtracta operatione data, vel remissa ipsi domino, vel patrono quod-

cumque

SECUNDUS.

cumque velit prædictorum recipere. Si vero cum voluntate, et licentia patroni, vel ejus evidenti causa necessitatis talem subtractionem temporis, vel servitii aliquis fecerit, vel aliqua, tunc teneatur, et debeat non duplum, sed simplum idest tantundem temporis, et servitii restituere quantum subtraxerit, vel quinque solidi denar. usualium per quemlibet diem subtractum simili modo concessa optione domino, vel patrono. Item nulla dictarum personarum alicui suo domino, vel patrono mari, vel femine audeat aliquid valoris, extimationis, vel quantitatis majoris xii. den. de bonis, vel rebus ipsius domini, vel patroni sine expressa licentia ipsius subtrahere, amovere, vel contractare per se, vel alium aliter, vel in alium usum, quem dominus voluerit, seu etiam consueverit, et si secus fecerit, vel promiserit ipso facto duplum eidem restituere teneatur, et nihilominus, ad petitionem domini patroni cogatur pro pœna solvere in comuni per regimen pro quolibet, et qualibet vice in xx. solidi denar. sine omni diminutione. Disponimus enim quod nulla dictarum personarum debeat, vel possit durante tempore promissionis, vel servitii, de quo, seu de quibus cum aliquo domino, vel patrono prius convenerit, vel ante pœnam fecerit, vel aliquo domino, vel patrono, vel aliqua alia persona aliquod pactum, vel aliquo tempore, vel servitio facere, vel de altero faciendo nullatenus convenire, nec etiam cum aliqua persona morari, vel alteri servire interim possit. Nemo etiam audeat personam talem interim, vel dicto tempore ad pactum, vel servitium adsumere, recipere, vel retinere, nisi de voluntate Prioris domini, vel patroni sub pœna, et banno C. solidi denar. pro quolibet, et qualibet vice solvenda ad Cō. querelam Prioris patroni, vel domini conquerentis sine omni processu. Quam pœnam solvere teneatur tam contra dictam formam recipiens, quam receptus, sive masculus, sive femina fuerit. Nec tamen possit in omnibus dominus, sive patronus, quod difficile foret in minimis, plenas probationes facere, vel inducere, ordinamus quod in causa, quam inferret dominus, sive patronus contra famulum, vel servientem de aliquibus fferamentis, strumentis, vel sctiliis ad laborandum actis, quæ assignata dicerentur eidem, vel de aliquo damno, vel culpabili facto ipsius servientis, quorum extima, valor, vel interesse non excederet summam xl. solidi denar. quia tunc stetur, et credatur plene,

plene, & libere corporali juramento domini, vel patroni affirmantis, vel jurantis. Ab inde vero supra usque in duplum dictæ quantitatis inclusive ad supplementum defectus probationis sufficiat, & valeat dictum unius testis bonæ famæ testificantis de visu. Ab inde vero supra, pœna juris, & facti probatio exigatur procedendo tamen summarim, ut dictum est supra. Mercedes autem, sive soldi famulorum pactualium, sive servientium solvantur, & solvi debeant non aliter quam dimidia pars mercedis statim postquam serviverit per medietatem temporis. Alia vero medietas solvatur in fine completi servitii, & nulla numeratio, vel solutio alicui famulo servienti, vel operario fieri possit, vel debeat prætestu mercedis, vel mutui, aut etiam depositi quamdiu duraret tempus dicti servitii, vel operis, nisi in terminis supradictis. Contrafaciens tamen solvens, quam recipiens per se, vel alium pro quolibet, & qualibet vice in x. libr. denar. sine omni processu puniatur de plano. Salvo, & reservato quod si quando aliquis detentus in aliqua curia in carceribus pro aliquo debito civili, vel criminali, qui causa obtinendæ pecuniæ opportune conveniret, vel pactum faceret cum aliquo, vel promitteret de sibi serviendo per aliquid tempus propter hæc ab ipso domino, vel patrono reciperet aliquam solutionem ante tempus, vel aliter quam dictum est, quia tunc ad dictam pœnam, nec dans, nec accipiens teneatur.

*De Coloniis, Laboratoribus, Inquilinis,
Pensionariis, & Cottimariis.*

C A P. XXXIV.

Comperimus frequenter contentiones de hujusmodi personis, ac eorum culpis, et negligentis exoriri. Ideoque hac perpetua declaratione firmamus quod Laboratores, Coloni teneantur, bene, et diligenter ad usum boni laboratoris colere, custodire, laborare, seminare, arundinare, recolligere, et alia facere jure, et de re, quam laborandâ, et recolendam acceperit, quæ per bonos, et diligentes laboratores fieri consueverunt. Et si contrafecerint, et exinde eorum culpa, vel negligentia, malitia, vel defectu acciderit, vel pervenerit læsionis, vel damni teneantur, et debeant domino, vel patrono, qui læsus, vel damnificatus fuerit tale damnum, et talem læsio-

læsionem reficere, et resarcire secundum quantitatem, extimam, et declarationem fiendam per duos testes homines unum per partem. Qui electi præstito eorum juramento possint, debeant, et compellantur videre talem rem cum commissis, et omissis in ea defectu, vel negligentia talis coloni, vel debitoris, et declarare quantitatem damni, et interesse talis domini, vel patroni infra tres dies, et postea ad petitionem domini, vel patroni. Et talis declaratio valeat firma sit, et executioni mandetur per regimen indilate, et de facto sine solemnitate juris, et judicii contra colonum, vel laboratorem. Et talis electi si infra tertiam diem non viderint, et non declaraverint in xx. solid. denar. pro quolibet, et de facto puniantur. Item aliquis laborator, vel colonus, aut etiam inquilinus rem à se conductam ad laborandum, vel colendum quomodocumque in proprietate, vel possessione domino, vel patrono interverterit verbo, vel facto recognoscendo eam ab alio, vel de ea, aut super ea, seu occasione ipsius respondendo alteri quam ei à quo conduxerit pro quolibet, et qualibet vice in libr. l. denar. condemnentur. Et nihilominus talis recognitio, seu responsio alteri quocumque modo facta, non valeat ipso jure, nec domino, seu patrono, qui locaverit præjudicet ullo modo. Nullus autem ac etiam rem ad se conductam alteri locare ad eundem usum, vel alium, sine præsentia, et expresso consensu possess. à quo ipse conduxerit pœna, et banno x. libr. denar. Et nullus à tali persona conducatur sub dicta pœna. Item quodcumque aliqua domus locaretur intelligatur in dubio locata, et conducta ad usum habitationis, et non alium. Et possessio rustica simili modo indubio intelligantur locata, et conducta ad usum boni laboratoris. Pensiones quoque domorum, et rerum quando non essent conventę intelligantur, prout prius consueverunt tales res locari, et quando de consuetudine non constaret intelligatur competens merces deberi declaranda per regimen cum consilio duorum vicinorum proximorum rei locatæ, et conductæ. Et pensiones conventę, vel non conventę semper solvantur, et solvi deberi intelligantur in dimidia parte statim finitis tribus mensibus, et in alia dimidia per duos menses antequam compleatur tempus conductionis, pacto contrario non obstante. Et nullus inquilinus de rebus ad se inventis, et illatis in aliquam domum ei locatam audeat extrahere, vel movere de ipsa domo sine expressa licentia, et voluntate locantis, pœna, et banno C. solid. denar. pro quolibet, et qualibet vice. Et in omnibus, et

singulis huiusmodi causis, et emergentibus, sive dependentibus ab eisdem semper inter partem locatoris, et conductoris, et hæredum ipsorum procedantur summario, et de plano sine strepitu, et figura iudicii.

De restitutione dotis facienda.

C A P. XXXV.

Presenti lege firmamus, quod in quolibet casu dotis restituenda maritus, seu qui dotem restituere teneatur muliere, promouente viro filiis, seu liberis extantibus, vel etiam deficientibus non teneatur restituere, nisi duas partes totius dotis, sive rei ob matrimonium habitæ, seu retentæ, sive in quantitate, sive in specie, seu in rebus aliis dos ipsa extiterit, vel constiterit, itaque de tota ipsa dote, seu re quatuor uncæ, sive pars tertia, sint, et cedant lucro mariti, vel successorum ejus. Reliquæ octo uncæ, sive duæ partes restituentur ei, cui de jure fuerit dotis restitutio facienda. Et salvo nihilominus ei voluntate uxoris, vel alio jure ad maritum, vel ad ejus hæredes plus, vel aliud pertineret de tali dote. Et hoc ordinamentum locum habeat, et firmum, truncum, et præcisum sit, et observetur jure, pacto, stipulatione, vel obligatione, contrariis, vel diversis non obstantibus.

De Filio Familias non obligando.

C A P. XXXVI.

Qui vis filius familias de Monte Sancto, vel habitans in eo pro aliquo debito cujuscumque quantitatis, vel rei non possit se principaliter, vel accessoriae sine parentis licentia, vel consensu in cujus esset potestate alicui Judeo, vel Christiano aliquatenus obligare. Et si secus se obligaverit sit obligatio ipso facto, et jure nulla, jure contrario non obstante; itaque ex nulla causa filius familias obligare se valeat, nisi parentis consensu rati habitatione, et nisi talis filius familias habitaret seorsum à patre, seu parente, vel etiam simul habitando, ut plurimum negotia gereret, ageret, et contraheret, vel nisi foret publicus artifex alicujus licite artis; in quibus

cas-

casibus omnibus, et singulis exceptuatis, obligatio, promissio, contractus, conventio filii familias in omnibus, et per omnia tanquam patris familias valeat pleno jure, lege contraria non obstante. Homines autem omnes, et singularum patres familias in Monte Sancto, vel ejus districtu non habitarent, ex omni causa, et contractu celebrato in Monte Sancto, vel alibi cum aliquo habitatore Montis Sancti obligaretur, et eorum obligatio de jure valeat, et debeat observari, nisi talis obligatio, et contractus de jure turpis, et inhonestus foret, quo casu jura communia observentur. Si tamen filius familias sui juris factus rati habuerit, qui primo gessisset, et contraxisset in causa non turpi, vel inhonesta sine consensu parentis intelligatur legitime obligatus, et ejus obligatio executioni mandetur.

De debito usurario.

C A P. XXXVII.

Nullus, qui per publicam vocem, et famam probatam à duobus testibus fide dignis probaretur usurarium fuisse, vel esse, audiatur, vel admittatur ad alicujus debiti persequutionem contra aliquem terrigenam Montis Sancti, nisi de ipso debito probaverit publico Instrumento confecto manu legalis Notarii de matricula Notariorum Montis Sancti. Salvis nihilominus contra tale instrumentum omnibus, et singulis exceptionibus de jure Comuni competentibus alio contrario, vel diverso jure, vel capitulo, et non obstantibus pactione, promissione, vel conventionione, sed potius hoc ordinamentum sic præcisum, truncum, et immutabile, et habeat locum tantum in futuris.

De refectione expensarum.

C A P. XXXVIII.

Victus victori condemnatur per regimen in expensis, tam scripturarum, et cartarum causæ, quam in aliis legitimis, salva semper taxatione per quam expensæ possint restringi, et in refectione à dimidio, usque ad dimidium inclusive totius summæ veræ quantitatis ipsarum prout taxandi visum fuerit declarare, et minus

L 3

taxa-

taxari, et reduci possit. Teneatur talis, cui resectio expens. fuerit facienda omnes expensas, quas fecerit singulariter declaratas in scriptis producere, et quodcumque post sententiam resectionem ipsarum petere, non obstante, quod principalis causa fuerit decisa. Judex vero, seu Officialis coram quo resecto peteretur, teneatur, possit, et debeat statim jus dicta scriptura expensarum providere ipsas expensas, & præsente adversa parte, vel saltem semel citata taxare, & taxatas declarare, vel alteri de Advocatis, vel Procuratoribus nostri fori, qui non fuerit, vel sit patrocinator in ipsa causa expens., vel principali, prout sibi videbitur providendas, & taxandas committere, dum tamen infra tertiam diem ab ipsa productione scripturæ expensarum jam dicta declaratio fiat, & expediatur cum effectu, & sic facta valeat, & teneat, & executioni mandetur summatim, & de plano non obstante solemnitate, vel substantia juris prætermissa, & non obstante contradictione aliqua imminente. Et Judex, seu regimen talem taxationem ad petitionem ejus, cujus interest teneatur, & debeat executioni mandare, ut dictum est. Alioquin dictas expensas totas, & integras teneatur sine diminutione refarcire. Et nihilominus Comuni x. libr. denar. de suo salario pro pena persolvat. Salvo nihilominus Judici jure, & arbitrio condemnandi partem in expensis una cum causa principali præter formam præsentis ordinamenti taxatione ipsarum semper salva &c.

De Testamentis, & ultimis voluntatibus.

C A P. XXXIX.

HAbilis ad testandum sollemnis voluntas favorabiliter observetur, & executioni mandetur secundum formam juris, & nostrorum Statutorum super jus traditam. Hoc tamen addito, & reservato, ne per aliquem Notariorum, seu scripturarum ignorantiam ex varia peritorum interpretatione aliqua parentum substitutio trahi possit, nec extendi, prout plerumque comperimus contra voluntatem, & propositum testatoris, qui omnis, & quælibet substitutio filio familias per parentem, seu ascendentem in cujus foret potestate quæcumque, quæcumque, & quibuscumque verbis contenta, vel facta, siquidem ipsa in potestate constitutus, cui substitutio facta foret infra pubertatis tempus decesserit, siue masculus fuerit, si-

ve

SECUNDUS.

ve femina semper, & ubique sit, & esse intelligatur directa, seu expressa pupillans, & non fide commissaria, vel obliqua. Itaque filio, siue filia impuberi in pubertate morienti solummodo succedat illi, vel illæ, unus, siue una, aut plures, qua, seu quibus per parentem fuerit substitutio facta, non obstante, quod mater instituti, vel alia persona proximior esset in medio, & omnia bona, tam testatoris parentis, quam ipsius substituti, seu institutorum intelligatur, & veniant ad substitutum jure directo sine omni defalcatione legitime, & trebellianicæ portionis, non obstantibus verbis quibuscumque contrariis ad fideicommissum actis, vel etiam propriis, quæ in tali substitutione apposita fuerit, vel prolata. Et hæc intelligatur fuisse, & esse mens, & intentio testatoris, nisi ipse testator contrarium volens hoc expresse, clare, & distincte prohibuisset, dixisset, quod substitutio ejus contra formam, esset, & foret fideicommissaria, & hæc valeant, firma sint, & observentur, jure contrario non obstante.

Quod Agnati masculi præferantur cognatis, & feminis in successione ab intestato morientium proprie, vel improprie.

C A P. XL.

QUoniam plerumque homines morte præventi, vel alio casu suorum bonorum, & hæreditatis dispositionem, ordinationemque facere nequeunt. Idcirco comuni hominum voluntati decedentium adherentes hac perpetua lege in favorem agnationis ædita decernimus, & ordinamus, quod extantibus, seu superviventibus agnatis masculis uno, vel pluribus, usque in tertium gradum inclusive computandum de jure civili alicui personæ morienti ab intestato proprie, vel improprie: siue sint dicti agnati superviventes unus, vel plures de linea ascendentium, siue descendantium, siue transversalium, vel de qualibet ipsorum. Quod femina una, vel plures cujuscumque gradus, proximitatis, & conditionis. Et omnes cognati masculi, vel feminae unus, seu una, vel plures similiter cujuscumque gradus proximitatis, & conditionis, siue sint dictæ personæ de linea ascendentium, siue descendantium, siue transversalium. Et cujuslibet earum descendantium, & transversalium de-

scen-

scendentes masculi, vel feminae unus, seu una, vel plures eidem sit decedenti ab intestato proprie, vel improprie non succedant, nec succedere quoquo modo possint, aut ad ejus successionem venire. Sed poenitus auctoritate praesentis ordinamenti praedictae personae una, vel plures, & quaelibet earum intelligatur, & sint ipso jure perpetuo exclusae à jure succedendi dicto sic morienti ab intestato, & ipsi soli superviventes agnati, unus, vel plures secundum gradus praerogativam admittatur ad hujusmodi morientis ab intestato successionem, & succedere possint, ac debeant, dummodo velint omnes, vel alter eorum. Aliàs jus comune servetur aliquo jure praedictis, vel alicui eorum contrario non obstante. Excipimus tamen à praedictis, & quolibet praedictorum, quod ubicumque alias de jure comuni secundum casum occurrentem alicui personae de praedictis supra exclusis ad minus deberetur legitima integra in bonis, & haereditate sic morientis ab intestato. Nec posset dicta persona ea legitima ab ipso moriente aliquo quaesito colore privari, & per expressam voluntatem in solemni testamento declaratam, quod eo casu dicta talis persona usque ad legitimam tantum inclusive, & non ad plus admittatur, ad successionem personae sic decedentis ab intestato proprie, vel improprie una cum dictis agnatis, vel ipsorum altero. Per praedicta tamen, vel aliquid praedictorum non intendimus derogare casibus comprehensis in Statuto supra posito sub capit. 27. Quod filiae, seu neptes dotatae &c. usque vero ad versiculum. Ubi vero tali quinimo volumus dictum Statutum in dictis casibus, & quolibet eorum in viridi observantia permanere, & praesenti ordinamento anteferri. Et ne nostra lex aliquid dissonum aequitati continere videatur, statuimus quod in successione sororis morientis ab intestato proprie, vel improprie quantum ad fratrem, seu fratres, & cujuslibet eorum descendentes masculos, & in successione filiae fratris sic morientis, ut supra quantum ad patrum, seu patruos, & cujuslibet eorum descendentes masculos jura communia observentur, praemissis non obstantibus. Huic etiam legi praemissae limitantes addendum fore censuimus, quod si contingeret aliquem mori ab intestato superstitibus ex se, & ex suis descendens masculis, vel ex altero tribus feminis legitimis, vel pluribus, & nullo agnato, seu agnatis masculis de linea ascendentium, vel descendens, sed tamen transversalium infra tertium gradum, ut supra, quod dictae feminae admittantur ad successionem sic morientis ab intestato, & ei succedere possint.

sint pro virilibus portionibus una cum superstite agnato, vel agnatis si ipsae velint, & hanc viam eligerint praemissis huic casui non obstantibus, & nulla persona de supradictis exclusis à jure succedendi decedentibus ab intestato in totum, vel in partem audeat, vel possit contra praedicta, vel aliquod praedictorum agere, impugnare, vel jus praetendere, & si secus fecerit, non audiat, & ipso facto à jure suo cadat, & cecidisse intelligatur auctoritate praesentis Statuti. Et nihilominus in libras quingentis denar. puniatur. Praesens autem ordinamentum sit praecisum, truncum, & immutabile, & habeat locum tantum in casibus emergentibus post confirmationem praesentis voluminis Statutorum.

Supradictum Statutum fuit confirmatum in forma specifica à S. M.

INNOCENTII XI. per suam Constitutionem impressam per nos Cardinalem de Luca de success. Statut. fol. 3. tenoris sequentis.

CONSTITUTIO

super statutariis successioneibus.

INNOCENTIUS PP. XI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii debitum, quo universis praesertim vero populis nostrae curae, & solitudini, etiam in temporalibus creditis, tenemur, exigit, ut ea provideri, statui, ordinari debeant, per quae illorum commodis, utilitati, quieti, & tranquillitati consultum sit, litiumque dispendia, & incommoda, quantum fieri potest, tollantur, & cessent.

§. 2. Cum itaque in nostra Urbe, peneque in omnibus aliis Civitatibus, Oppidis, & Locis nostri, & S. R. E. status, & dictionis temporalis Italiae ordinata sint, atque vigiant statuta, seu decreta, aliaque leges, & ordinationes, Apostolica expressa, vel tacita, sive jure praesumpta confirmatione, & approbatione munita, per quae ut Agnationum, & familiarum nobilitas, & decor,

cor, mediantibus bonis, & divitiis conserventur, intestate successiones Agnatis masculis, exclusis feminis, aliisque per eas cognatis, intra certos respective gradus deferuntur.

§. 3. Compertum vero sit, quod nonnullæ Doctorum, & Tribunalium interpretationes, ac limitationes, vel restrictiones præmissum finem à populis, juxta eorum ac regionis antiquos, & continuatos mores impediunt, præfatasque leges, ac provisiones pœne inanes reddunt, sive frequentes producunt lites, perturbationes, incommoda, & dispendia, adeût quandoque expediat potius non deferri, nec aperiri successionis beneficium, quod ita in malefium propriique assis jacturam convertitur.

§. 4. Unde propterea iidem populi præfati nostri Status Ecclesiastici tam immediati, quam mediati Italiæ apud nos eorum voluntatem, ac desiderium explicantes preces porrexerunt, ut de super opportunè providere dignaremur, præfatorumque Statutorum, ac legum, seu provisionum, generalem, ac indefinitam observantiam, prout jacent, & disponunt, demandemus, quibuscumque Doctorum, & Tribunalium rejectis interpretationibus, adeout universalis, ac uniformis in quolibet loco sit, ordo succedendi ad propriorum respective Statutorum, & legum normam, seu præscriptum.

§. 5. Hinc Nos præmissorum populorum, qui nobis, & Apostolicæ Sedi, etiam in temporalibus, tam immediate, quam mediate crediti sunt, commodo, utilitati, quieti, & tranquillitati, quantum fieri potest, consulere cupientes, eorumque votis, & supplicationibus annuere volentes.

§. 6. Motu proprio, ex certa scientia, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnium, & singulorum Statutorum, decretorum, legum, constitutionum, & provisionum hujusmodi in dicta nostra Urbe, & universo nostro, & Sedis Apostolicæ statu Ecclesiastico immediato, & mediato existentium tenores pro expressis habentes perinde, ac si de illis expressa, specialis, & individua mentio facta esset.

§. 7. Hac nostra perpetua valitura Constitutione, mandamus, decernimus, & statuimus, ut in successionebus imposterum, & post præsentium publicationem aperiendis, & deferendis, illa statuta, decreta, leges, constitutiones, & ordinationes, quæ in præfatis nostris Urbe, & Statu Ecclesiastico expressam in forma

ma specifica, vel etiam in sola forma Communi Apostolicam habeant confirmationem, & appellationem, sive illam habeant tacitam, & præsumptam, quæ ex juris dispositione ob longissimi temporis observantiam inducitur generaliter, & indefinite, prout jacent, ac disponunt ad favorem masculorum de agnatione in universo asse attendi, & servari debeant.

§. 8. Quacumque sublata consideratione, vel differentia bonorum, eorumque situationis, intra, vel extra territorium, ubicumque existant.

§. 9. Et sive sint libera, & allodiola, seu feudalia, vel emphyteotica, seu livellaria, etiam de directo dominio Ecclesiarum, Monasteriorum, & Piorum Locorum, seu personarum Ecclesiasticarum, ubi lex investitura non obstat, quæ salva remaneat.

§. 10. Sublata quoque omni, & quacumque differentia, vel consideratione subjectionis, & respective exemptionis personarum, tam decedentium, quam succedentium, vel excludentium, & exclusarum, cujuscumque sint status, gradus, & conditionis, & quamvis agatur de Clericis, vel Regularibus utriusque sexus, aut de Ecclesiis, & Monasteriis, aliisque personis, & locis Ecclesiasticis, vel alias quomodolibet exemptis, & privilegiatis, quantumvis expressa, & speciali nota dignis.

§. 11. Dum non ex ipsorum Statutorum, vel statuentium aliqua jurisdictione, vel potestate, sed ex nostra dumtaxat Apostolica autoritate hunc succedendi ordinem in dicto nostro statu immediato, & mediato Italiæ, ex justis causis animum nostrum digne moventibus servari volumus, ac statuimus, attenta solum, ac generaliter naturali qualitate agnationis, & sexus pro dicto fine assequendo.

§. 12. Nullaque etiam ratione habita mixturæ personarum, non exclusarum in medio existentium, aliave qualitate, ob quam hujusmodi Statutorum, & legum cessatio, & reversio ad Jus Commune prætendi valeat, adeout unicum, uniforme, ac universale sit jus, & ordo successionis ad ipsorum respective Statutorum præscriptum, & præfato agnationis favore.

§. 13. Quodque in quolibet casu dubio, & quomodolibet disputabili favore masculorum de Agnatione in exclusionem feminarum, & cognatorum, tam ascendentium, etiam Matris, quam descendentium, & collateralium, hujusmodi legum, & Statutorum interpretatio facienda sit.

- §. 14. Ubi vero contingat non verificari Statutorum, personarum, & bonorum unionem, similitudinem, & combinationem, quam attendi, ac servari debere decernimus, vel quod non absint statuta personarum; sive illa extantia, ob enunciatas Doctorum, & Tribunalium interpretationes, & restrictiones, aut alias quomodolibet suum non sortiantur effectum.
- §. 15. Tunc sublata (ut præmissum est) omni differentia exemptionis, & subjectionis personarum, & bonorum respective, generaliter, & prout jacent, attendi, ac servari volumus, decernimus, & mandamus statuta locorum, in quibus bona existunt, ac possidentur.
- §. 16. Sive agatur de bonis stabilibus, sive de mobilibus, censibus, locis montium, officiis vacabilibus nominibus debitorum, juribus, & actionibus, & aliis, quamvis de illis esse dignoscatur, quæ loco non circumscribantur, sed persona sequuntur.
- §. 17. Et quamvis tam decedentes, quam excludentes, & exclusi exteri sint, nobis, & Sedi Apostolicæ in temporalibus non subditi, dum etiam exteri acquirentes, ac retinentes præfata bona, & jura in prædictis Urbe, & Statu, censeatur (contraria voluntate expresse non declarata) in animo habuisse hujusmodi bonorum, & jurium successionem regulari debere, juxta leges, & ordinationes locorum, in quibus existunt, ac retinentur.
- §. 18. Prout hunc animum præsumendum esse decernimus, statuimus, & declaramus.
- §. 19. Quæ vero de intestatis successionibus hætenus, ut supra, statuta, & disposita sunt in testamentariis quoque successionebus attendi, & observari debere volumus, ac statuimus quacumque pariter bonorum, & personarum differentia, & consideratione, ut supra sublati in iis casibus, in quibus eadem Statuta, & leges locales in hac specie testatæ successionis masculorum de agnatione favore disponunt, quoties decedentium, contraria expressa voluntas non adversetur.
- §. 20. Non intendimus autem per præsentem Constitutionem, atque in ea disposita in aliquo derogare, & præjudicare Constitutionibus Apostolicis recol. memoriæ nostrorum prædecessorum, Sixti Papæ Quinti, Clementis Papæ Octavi, Pauli Papæ Quinti, Urbani Papæ Octavi, Innocentii Papæ Decimi, & Alexandri Papæ Septimi, & aliorum, si quæ adsunt super inhabili-

tatione forentium dicto nostro, & Apostolicæ Sedis dominio in temporalibus non subjectorum, qui Statutis temporibus ad habitandum non veniant, & non observent ea quæ in eisdem Constitutionibus disponuntur, ac demandantur, sed illæ salvæ, integræ, & in suo robore, ac firmitate permaneant.

- §. 21. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & Commissarios, quavis autoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, seu Vicelegatos, aut Cameræ Apostolicæ Præsidentes, & Clericos, & quoscumque alios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & autoritate ubique locorum judicari, definiri, ac sententiari debere, necnon quidquid secus super his à quoquam, quavis autoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.
- §. 22. Ut autem præsentis ad notitiam omnium deducantur, volumus, & eadem autoritate Apostolica statuimus, & ordinamus, quod illarum transumptis, etiam per impressionem factis, manu alicujus Judicis, seu Prælati, aut alterius Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ subscriptis, & Sigillo alicujus Notarii publici munitis quæmadmodum adhiberetur originali, si præsentaretur, ubique adhibeatur, tam in Judicio, quam extra illud, plena, & indubitata fides. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ M. DC. LXXX. festo decimo Kalend. Decembris Pontificatus Nostri Anno quinto.

Placet Motu proprio B.

Die decima octava Novembris 1680. supradictus 'Motus Proprius' affixus, & publicatus fuit ad valvas Curie, & in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me M. Aurelium Pellicciam Sanctiss. D. N. Papæ Cursorem.

Pro Magistro Cursorum, Agapirus de Magistris Curs.

De negatione, & probatione filiationis, paternitatis, uxoris, notariatus, & similium.

CAP. XLI.

Quisquis in agendo, vel defendendo, vel quoquo modo respondendo negaret paternitatem, vel maternitatem, filiationem, fraternitatem carnalem uxorum, sive matrimonium, vel etiam negaret notariatum alicujus si quidem postea probatum fuerit per publicam vocem, & famam cum duobus, vel pluribus idoneis testibus affirmantibus, sive dicentibus publicam vocem, & famam fuisse, & esse, quod aliqua persona fuerit alterius personæ, pater, filius, mater, frater, vel soror carnalis, maritus, vel uxor, vel aliquis fuerit Notarius, vel quod ipse, seu earum aliqua fuerint in possessione, vel quasi juris alicujus attinentiæ de prædictis videlicet matrimonii, paternitatis, filiationis, maternitatis, fraternitatis, vel etiam artis, & officii notariatus, vel quod sic de dictæ personæ inter se habuerint, & tractaverint, sive se reputaverint, & communiter ab aliis, & maxime à vicinis ipsarum sic habite, & reputate fuerint. Volumus, & præcise firmamus, quod talis probatio, non obstante jure contrario sic habeatur, reputetur, & intelligatur pro vera, legitima, plena, & sufficienti in omni causa, & casu. Itaque contra hæc nulla fieri possit, vel admittatur probatio in contrarium. Et talis attinentia consanguinitatis affinitatis matrimonii, vel notariatus dictis modis, vel aliquo eorum probata, probatum, seu probatus sit, & intelligatur pro vera, seu vero, ac legitima, sive legitimæ, & efficaci ad pronunciandum, obtinendum, & consequendum, seu etiam evitandum quicquid ex dictis attinentiis, vel officiis, aut eorum aliqua, aut aliquo etiam plenissime de jure probatis, sive probatas faciendum, consequendum, vel evitandum foret de jure, vel per formam nostri Statuti, & per talem probationem eo ipso, quod facta fuerit, illa talis persona, quæ prædicta, vel aliquid prædictorum negaverit in judicio, vel foro, aut curia, seu etiam arbitrio Terræ Montis Sancti, vel in ipsa Terra, & alibi ubicumque, ipso facto, statim, & sine omni processu in x. libr. denar. puniatur ex officio Judicis, vel etiam ad petitionem adversæ partis contra quem negatio facta foret. Et intelligatur, & locum

SECUNDUS.

locum habeat, quando aliqua negatio talis attinentiæ consanguinitatis, officii, aut artis fieret, aut facta foret, de aliqua persona vivente, vel mortua, quæ fuerit, vel sit oriunda, vel habitatrix Terræ Montis Sancti, vel ejus districtu. In aliis autem casibus, & personis jura communia observentur.

De solutionibus, & salariis faciendis in causis.

CAP. XLII.

Salarium Advocati, Procuratoris, Notarii, vel Scriptoris primo esse volumus prout, & sicut convenerit inter partes; quod si conventum non fuerit, nec partes inter se de ipso concordarentur, tunc sint, & remaneant in arbitrio, & declaratione Prioris, matriculæ, Advocatorum, & Notariorum Montis Sancti, & duorum aliorum expertorum de ipsa matricula eligendorum concorditer per partes, vel quos eligendos Judex, sive regimen ad petitionem cujuscumque partis præcise cogat partem reculantem. Et ubi ipsa pars non eligeret, tunc ipse Judex, seu Officialis, jure ipsius recusantis, possit eligere, & illa quantitas salarii, quæ per dictos tres de matricula, vel majorem partem ipsorum declarata fuerit, solvatur per clientulum, & ad solvendum cogatur realiter, & personaliter, & de facto, ac si expresse, & legitime conventa, & promissa fuisset, dum tamen dicti declaratores quantitates infra scriptas excedere non possint videlicet in quæstione, sive lite rei quantitatis, vel facti minoris extimationis summæ, vel valoris xxv. libr. denar. salarium Procuratoris cujuslibet xl. solid. quantitatem non possit excedere. In causa vero, aut lite quantitatis xxv. libr. aut valoris in C. libr. inclusive salarium dictorum Procuratorum non possit excedere summam unius floreni de auro: ab inde supra usque in quantitatem C. floren. inclusive salarium Procuratorum non excedere duos florenos auri. Ab inde autem supra, quantæcumque quantitatis, vel extimationis causa foret, salarium Procuratoris non excedat tres florenos auri. Et quæ dicta sunt in Procuratore, locum habeant in curatore ad causas, & defensore, in actore, & etiam in Scindico, qui essent de matricula prædicta. Advocatus vero in quolibet dictorum casuum consequatur, & habeat duplum dictarum quantitatum pro suo salario. Liceat tamen clientulo, si maluerit, sponte etiam plus, & ultra dare, vel solvere dictis personis. Item solutio-

nes Notariorum banche civilium nostri Communis fiant cum limitatione infra scripta videlicet ut quilibet Notarius pro suo labore de prima scriptura cujuslibet præcepti, quod factum fuerit involentem, vel confesum in causa summaria, sive extraordinaria, recipiat tantum quatuor denar. Pro secunda vero scriptura publicata ad petitionem partis, si præceptum fuerit de re, facto, vel quantitate summæ, vel valoris xx. solidorum, recipiat duos solidos denar. tantum; ab inde supra usque ad unum florenum inclusive, recipiat tantum tres sol. den. ab inde supra usque ad x. lib. inclusive, recipiat tantum quinque solidos; ab inde autem supra usque ad quinquaginta libr. inclusive, recipiat tantum duos Anconitanos grossos. In causis vero ordinariis, in quibus libellus, vel petitio scripta in actis, vel producta procederet, & exceptionum productio, & litis contestatio fieret, & similia, quæ in ordinariis processibus agitantur, pro prima scriptura cujuslibet actus facti, vel producti, recipiat solutionem iv. denar. tantum, excepta sola diffinitiva pro cuius prima scriptura recipiat duos denar. pro secundis vero scripturis actorum in publicam formam redactorum, salarium solvendum, & recipiendum, stet, remaneat, & consistat in discretione Prioris, & duorum Notariorum de matricula, qui in ipsis causis non intervenerint ad agendum, vel defendendum eligendorum, ut supra in eodem ordinamento cavetur. In causis vero exequutionis instrumenti præcepti, laudi, arbitrii testium, vel ultimæ voluntatis pro qualibet petitione, productione, & petitione exequutionis, pro prima scriptura tantum recipiat iv. denar. & pro prima scriptura petitionis, & termini quarumcumque scripturarum postea sequentium tantundem recipiat: item pro qualibet cedula notificationis tenutz, vel citationis hæredum, & promissione, recipiat tantum xii. denar. Pro scriptura vero cujuslibet relationis, aut citationis quorumcumque personarum, quas idem bajulus ad petitionem ejusdem partis simul, & semel retulerit, se citasse, recipiat Notarius pro prima scriptura iv. denar. tantum. Item pro quolibet compromisso facto in Judicio, vel apud acta per partem, vel promissione Judicis, necnon pro qualibet deputatione, sive electione quorumcumque personarum ad eandem causam in Judicio facta, ad dicendum, videndum, faciendum, & declarandum aliquid opportune in causa, recipiat Notarius à qualibet partium pro prima dicta scriptura iv. denar. tantum. In aliis autem solutionibus scripturarum banche non

non declaratis remaneat declaratio quantitatis hujusmodi solutionis fiendæ in providentia, & arbitrio assessoris, & Prioris prædicti

Præterea quorundam Notariorum ansam in solutionibus mercedum Notariorum refrenantes, decernimus, quod in solutionibus mercedum Notariorum recipiendarum pro laboribus scripturarum publicarum, instrumentorum, quorumcumque contractuum, negotiorum, vel rerum, præter testamenta, & ultimas voluntates, habeatur infra scripta consideratio valoris, seu extimæ rerum, & etiam scripturarum in ipsis instrumentis comprehensarum, & deductarum, ubicumque specialis conventio de ipsa solutione scriptoris facta non esset, vel partes in concordia non essent, quo casu pro quolibet publico instrumento, cujus quantitas, vel extima rei, seu negotii in eo deducti, sive deductæ, esset, vel fuerit x. libr. vel infra, & non ultra, recipiat tantum iv. Anconitanos grossos; ab inde supra usque ad lxx. libr., recipiat xxx. solid. denar. tantum; ab inde supra usque ad _____ inclusive, recipiat tantum _____; ab inde supra usque ad centum libr. inclusive, pro qualibet libr. quantitatis, vel extimationis, recipiat octo denar.; ab inde supra usque in CL. libr. inclusive, recipiat tantum iv. libr.; ab inde supra usque in C. florenos inclusive, recipiat tantum duos florenos; ab inde supra usque ad CC. florenos inclusive, recipiat tres florenos; ab inde autem supra quantitatis, & summæ res fuerit, recipiat Notarius pro publico instrumento iy. floren. auri, & non ultra. Solutiones autem scripturarum, publicarum instrumentorum, & aliarum ultimarum voluntatum, hoc ordine fiant, ut siquidem conventum est de mercede, vel per testatorem provisum ipsi Notario in sua ultima voluntate, & tunc istis casibus Notarius compellatur præcise stare conventioni, vel provisioni; sin vero non est conventum, vel provisum ut supra, & tunc sibi bona hæreditaria valeant à tricentis libr. infra usque ad C., pro mercede indulgemus Notario duos ducatos auri, & non ultra. A tricentis libris usque ad sexcentas inclusive, tres ducatos auri: à mille libris usque ad mille ducat. inclusive, quinque ducat. auri. A mille duc. usque in duobus mille, sex ducat. auri, & deinceps pro uno quoque milliari ducatorum; ita tamen, quod dicta merces aliquo modo non possit excedere summam xxv. ducat. Si qua tamen differentia inter partes super extimatione bonorum dictorum hæreditariorum oriretur, duo boni viri eligantur à partibus, & ad eligendum nolentes

lentes, per regimen compellantur realiter, & personaliter videlicet unus à qualibet parte; qui electi superficialiter, extimam de ipsis bonis facere debeant: cui extimæ præcise partes stare compellantur, additentes, in quolibet prædictorum casuum, quod pars scripturam petens, teneatur Notario dare cartam opportunitam, ipsius partis expensis.

De arbitris, arbitratoribus, & compromissis.

C A P. XLIII.

QUAMVIS arbitria ad instar Judiciorum redacta sint, ea tamen non per omnia imitantur, cum plurimum ad ipsa pro majori commodo, & facultate partium potius decurratur; unde præsentī lege duximus ordinandum, quod arbitri, arbitratores, vel etiam amicabiles compositores, etiam si mere de jure in eas fuerit compromissum, tamen in procedendo possint de facto cognoscere, & teneantur summam, atque de plano, & sine strepitu, & figura judicii, dum tamen ad jus litigatoris ad decidendum de jure procedant, solemnitate etiam juris ommissa. Sin autem mistim de jure, & de facto fuerint assumpti, tunc possint quomodocumque, & qualitercumque, tam in procedendo, quam in diffiniendo procedere, prout ipsi maluerint, & una via electa in procedendo, possint nihilominus semel, & pluries redire ad alteram. Et si quando aliqua juris declaratione, arbitri, vel arbitratores quomodocumque assumpti indigerent, liceat eis competentibus, & cōis partium expensum jurisperitis habere colloquium. Et quando arbitri, seu arbitratores essent nūo pares, nec invicem concordarent, liceat tunc eis alium addicere ad arbitrandum, qui neutri partium sit suspectus. Et semper observetur arbitrium, & arbitramentum, quod per majorem partem arbitratorum fuerit, & declaratum. Compromissum autem dumtaxat per annum à die compromissi facti volumus perdurare; & ipso anno transcurso, volumus expirare, nisi de comuni voluntate partium fuerit prorogatio facta, vel compromissum noviter celebratum; itaque dicto tempore sola instantia, & arbitratorum Potestas expiret; possint tamen interim, & debeant per regimen quibuscumque opportunis remediis ad petitionem cujuslibet partium cogi, & compelli ad arbitrandum, & laudum, & declarationem

tionem proferendum. Teneanturque arbitri eorum declarationes, & arbitria semper facere per aliquem Notarium de matricula Notariorum Montis Sancti per ordinem, & extense scribere, antequam proferant. Et causa in compromisso deducta, dicto tempore anni durante in judicium ordinarium reduci non possit; & quicquid in pluribus arbitris constituitur, etiam in uno solo arbitro, seu arbitratore locum habeat; huic insuper sanctioni addicimus, quod minores xxv. annis, necnon tutores, & curatores, & similes, de rebus ipsorum minorum, & causis, possint in arbitros compromittere cum solemnitate tradita supra, ut in contractu minorum, & obligatione. Et tales arbitri quocumque modo censeantur, possint, & posse intelligantur tantum de jure, quantum ad jus litigatoris decidere, & diffinire, & de facto procedere, si tamen de jure processerit, id, quod fieret, vel factum fuerit nihilominus valeat; & idem observetur, & fiat, & locum habeat in furioso, prodigo, mentecapto, & similibus: nemo tamen ad compromittendum cogi possit, nisi sponte volens, & si quis coacte compromisserit, compromissum ipsius non valeat ullo modo. Excipimus à proxime dictis personas conjunctas, & affines usque in quartum gradum inclusive de jure canonico computandum. Quæ personæ, & qualibet earum de omnibus litibus, quæstionibus, & differentiis inter eas vertentibus, possint, ac debeant per nostrum regimen præcise compelli ad compromittendum, realiter, & personaliter ad petitionem ipsarum, & cujuslibet earum, necnon ex suo mero officio; & tale compromissum valeat, ac teneat; præmissis huic casui non obstantibus; si quæ tamen differentia in modo compromittendi inter dictas personas videlicet an de jure tantum, vel de facto tantum, vel aliter, verteretur, nostri regiminis arbitrio terminetur. Et hoc Statutum in omnibus suis casibus sit firmum, præcisum, & immutabile, & habeat locum in præteritis, præsentibus, & futuris.

De observatione fori, & mercati.

C A P. XLIV.

SI quod mercatum, vel si qua conventio alicujus emptionis, venditionis, locationis, conductionis, permutationis, vel cambii, seu aliarum rerum factum, vel facta fuerit, vel fieret in Monte

te Sancto, vel ejus districtu inter quascunque personas non minores xxv. annis, & sanæ mentis, & quibus non esset administratio interdicta, arris datis, vel non, & Notario rogato, vel non; tunc semper, & in omni casu, qui non esset contra formam alicujus nostri Statuti, tale mercatum, & talis conventio, valeat, & teneat, rata, & firma sit, observetur, & executioni mandetur, & pars observare recusans, compellatur per regimen nostrum ad petitionem partis petentis realiter, & personaliter ad observandum, & executioni mandandum quicquid in ipso mercato, seu conventionem fuerit deductum, promissum, & conventum, & nihilominus talis recusans, bannum, sive pœnam C. solid. denar. comuni persolvat de facto, & sine processu, habita tamen fide de tali mercato, vel conventionem per probationem saltem duorum testium bonæ famæ.

De Notariis mortuis, & eorum Protocollis.

C A P. XLV.

Protocollo, & rogata Notarii, qui fuerit mortuus, publicentur per illum legalem Notarium de Monte Sancto de matricula dictæ Terræ, qui per ipsum principalem Notarium fuerit ad talia substitutus, vel deputatus, quo deficiente, fiat per alium similem, qui assumptus, vel deputatus fuerit ab hærede, vel successore defuncti, quo etiam deficiente, tunc fiat publicatio per illum similem Notarium, qui per generale concilium communis Montis Sancti fuerit deputatus. Et in quolibet casuum prædictorum nihilominus probata, vel interveniente autoritate, sive deliberatione, seu reformatione dicti concilii generalis, publicatio inde facta per aliquem ex dictis Notariis. Et instrumentum ab eo dicto modo transumptum, exemplatum, & publicatum valeat, & plenum robur obtineat, ac si per ipsum principalem Notarium, qui à principio rogatus fuerat, fuisset originaliter confectum, & publicatum, & ei adhibeatur plena fides, non obstante, quod exhiberetur originale autenticum, & non obstante, quod specialis autoritas Judicis, vel Officialis non intervenerit, dum tamen ipsummet instrumentum faciat mentionem de auctoritate cum aliquo legali Notario facta, & dum tamen ex serie ipsius exempli, sive copiarum appareat, quod in originali continebantur locus, & testes, tempus, & nomina contrahentium,

SECUNDUS.

tium, vel facientium id, quod in substantia ipsius instrumenti fieri convenerat, vel fiebat; nec prædictis obstat, nec in aliquo præjudicet subscriptio principalis Notarii rogati de originali; vel etiam si rogatio, aut signum ibi deficeret, dummodo ipsum autenticum, & originale inter alias scripturas, & protocollo ejusdem Notarii, & manu ejus scriptum appareat, etiam in aliquo folio, & aliqua carta extra librum ordinarium; & repertum sit inter dictas scripturas, & protocollo; & scripto manu dicti principalis stetur, & credatur ipsimet exemplo, sive transumpto dicto modo copiato, & publicato. Et hoc maxime locum habere volumus in testamentis, & ultimis voluntatibus, & in aliis nihilominus instrumentis, & rebus.

De protocollo, & rogatis scribendis.

C A P. XLVI.

Quilibet Notarius teneatur vinculo juramenti; & pœna xx. solid. denar. qualibet vice statim quod rogatus fuerit de aliquo contractu, & de aliqua voluntate, vel re, in præsentia ipsarum partium, si adesse voluerit, vel etiam in absentia, si adesse nollent in aliquo ordinato libriculo scribere per ordinem substantiam ipsius rei gestæ, sive conventæ cum loco clare confinato, & cum tempore anni, mensis, indictionis, & diei, & nominibus partium, & nominibus testium. Et partes inde pro prima scriptura protocolli teneantur dare pro qualibet ipsarum xviii. denar. Insuper teneantur Notarii eorum rogata substantialiter, & ordinate ponere in quaternis, & libris legatis, & non in cartis minimis, & extravagantibus. Et qui contrafecerit, pro quolibet, & qualibet vice, ad querelam partis, cujus interesset, in xx. solid. denar. puniatur.

De instrumentis faciendis, & reaccipiendis.

C A P. XLVII.

Teneantur Notarii conficere, & in publicam formam confecta parti petenti, cujus interest, restituere publica instrumenta infra octo dies, ex quo requisiti fuerint, recepta carta, & oblata sibi verisimiliter competenti solutione mercedis, salva semper justa, & evi-

& evidenti causa impedimenti. Item è contra illæ ad cuius petitionem Notarius confecerit publicum instrumentum, vel aliquam publicam scripturam, teneatur ipsum, seu ipsam statim infra tres dies reaccipere, & recolligere ab ipso Notario, pœna xx. solid. denar. de facto solvendo, salva similiter iusta causa impedimenti. Et ad probationem, quod scriptura sit, facta ad sui petitionem, sufficiat dictum unius testis bonæ famæ, vel probatio cartæ per eum ad hoc data.

De instrumento ammisso resciendo.

C A P. XLVIII.

SI aliqua venditio, cessio, insolutum, datio, vel dotis solvendæ, aut restituendæ promissio, facta, vel celebrata fuerit cuius instrumentum deficeret, vel perditum, aut ammissum diceretur, & probaretur, saltem proprio juramento alicujus non Judei, nec usurarii, sed hominis legalis, & bonæ famæ, tunc regimen ad petitionem ipsius, cuius interest, possit, teneatur, & debeat compellere ipsos principales ad rescindendum tale instrumentum de novo, ita quod perpetua fides constare possit, & veritas apparere; & pars prædicta recusans, in C. solid. denar. nihilominus puniatur, si prædicta non adimpleverit infra quintam diem, postquam Judex, seu regimen sibi mandaverit. Præterea Notarius teneatur ad novam refectionem publici instrumenti, vel re, vel facto, unde rogatus fuerit, non obstante, quod alii publicaverint, vel aliud inde instrumentum fecerit, dum tamen in quolibet prædictorum casuum de primo instrumento, & ejus identitate semper mentionem faciat in sequentibus. Et hoc facere possit, & teneatur ad petitionem personæ, cuius interfit, & non alterius.

De matricula, & collegio Advocatorum, Procuratorum Montis Sancti.

C A P. XLVIX.

Ordinamus, quod in Terra Montis Sancti sit, & esse collegium, sive matricula Advocatorum, Procuratorum, & Notariorum videlicet una, & eadem simul, & statim post publicationem,

tionem, & confirmationem præsentis ordinamenti infra unum mensem in aliquo idoneo loco simul conveniant omnes Advocati, & Notarii de nostra Terra, & jurisdictione; quoque modo ad vocationem, et notariatum exercere consueverunt; & ibi, per aliquem ex ipsis Notariis expertum, in aliquo libro cartæ membranæ in volumine Statutorum apponendo, conscribantur per ordinem omnia, & singula nomina ipsorum Advocatorum, Judicum, & Notariorum de Monte Sancto, & in eodem libro dimittatur spatium, in quo per tempora fieri possit idoneorum hominum additio, successive fienda per Notarium matriculæ, qui ad hæc fuerint per ipsam matriculam specialiter deputati, & illi omnes, & singuli, quorum nomina reperta essent manu dicti Notarii scripta ex deliberatione præhabita, sint, & esse intelligantur de dictis collegio, & matricula, & eorum ordine. Et in dicto loco, antequam discedant ad scabinas, eligant electores tres numero ad eligendum, & nominandum ex ipso ordine, & collegio, illum, qui esse debeat Prior ipsius matriculæ, sive collegii inde ad Festum S. ANTONII ABBATIS proxime sequuturi, necnon ad eligentes tres consiliarios debentes adesse dicto Priori. Et in dicto Festo S. ANTONII similis electio de novo Priore, & novis consiliariis fiat; quorum sic electorum officia durent per annum, & simili die singulis annis similis electio, & renovatio fiat Prioris, & consiliariorum. Item eligantur ibidem de ipso corpore duo Notarii insolidum ad scribendum acta, & negocia ipsius matriculæ, & officii Prioris ipsius per omnia opportuna, & occurrentia: necnon ibidem tunc, vel postea quodcumque, & ubicumque creari possint, & debeant, duo Scindici, & Procuratores insolidum ad agendum, & defendendum civiliter, & criminaliter cum pleno mandato, ut opus fuerit, in quocumque foro, & ad substituendum &c. videlicet nomine, & vice ipsius collegii, & pro eo maxime contra inobedientes Priori, vel derogantes honori, & privilegio ipsius matriculæ, vel non observantes formam præsentis ordinamenti. Quo circa ipsum collegium, & matricula tota teneatur contribuire in expensis, & nostrum comune, & ejus officiales in his præstare teneantur auxilium, consilium, & favorem: de qua matricula, & collegio nullus, præter prædictos, esse possit de cætero, nec in eo de novo admitti, sine expressa deliberatione ipsius collegii, vel duarum partium ipsius viventium, obtenta ad bussulas, & pallestas, super

super speciali petitione in scriptis procedente in speciali convocatio-
ne, & congregatione ad hæc fienda in festivitate Annunciationis
GLORIOSÆ VIRGINIS MARIÆ de Mense Martii, & aliter non.
Et nullus recipi possit in ea, qui non sit legalis, & bonæ famæ, &
qui non sit subjectus, & esse possit jurisdictioni seculari nostri co-
munis: nec etiam aliquis, qui non sit assiduus habitator Montis San-
cti, & qui non sit etatis saltim xviii. annorum, & qui bona immo-
bilia non possideat in dicta Terra, & ejus districtu; aliter autem
facta, vel fienda receptio non valeat ullo modo. Addicimus autem,
& expresse firmamus, quod nullus, qui non esset in dicta matricu-
la legitime receptus, & cujus nomen non reperiretur in dicto libro
dictæ matriculæ recte scriptum, audeat, vel possit notariatus offi-
cium exercere in Monte Sancto, vel ejus districtu, nec aliquod in-
strumentum, seu scripturam conficere, vel publicare, nec aliquam
rogationem recipere; nec ulli contrahentium, vel aliquid agentium
audeant, vel possint aliquem alium Notarium rogare, vel adhibe-
re ad scribendum, vel publicandum in Monte Sancto, & ejus districtu,
quod ex descriptis, & repertis, & receptis, ut dictum est in jam
dictis libro matriculæ, & collegio, & quod secus, vel contra, vel
præter dictam formam actum, vel scriptum fuerit, nullius sit effe-
ctus, & valoris, nec aliquam firmitatem obrineat. Et nihilominus
quilibet contrafaciens tam adhibitus, quam adhibens in xxv. libr.
denar. pro quolibet, & qualibet vice puniatur ad denunciationem
cujuslibet nunciantis. Prior autem dicti collegii dictis modis electus,
habeat, & habere intelligatur cum concilio majoris partis consilia-
riorum suorum jurisdictionem, & potestatem, ipsam matriculam,
& collegium congregandi, & convocari faciendi, & in eis propo-
nendi, & ad partium mittendum, & inobedientes, & sibi non pa-
rentes, vel ad congregationes non venientes mulctandi, & pœnas
imponendi, & exigi faciendi usque in x. solid. denar. & minus ar-
bitrio ejus, & omnes hujusmodi pœnæ, & mulctæ applicentur uni-
versitati matriculæ prædictæ. Ac etiam ex ipsa matricula deputandi,
& eligendi Notarios banchæ civilium causarum nostri comunis, &
fori, & maxime de plus juvenibus, & novitiis ad vicennam, ita-
quod æquali officii distributione singuli patiantur, ut decet per
sex menses, durante officio Potestatis pro tempore existentis. Et fa-
ciendi per ceream, & candelas emendas, seu emendam expensis No-
tariorum banchæ, qui pro tempore fuerint honorari festivitates infra-

scri-

scriptas videlicet Festum VIRGINIS MARIÆ de Mense Martii,
GLORIOSI BAPTITÆ de Mense Junii, Festum S. STEPHANI
PROTHOMARTYRIS de Mense Augusti, Festum BEATÆ LU-
CIÆ de Mense Decembris, ac etiam Festum BEATISSIMI ANTO-
NII de Mense Januarii. Declaramus etiam, quod in receptione no-
vitorum prædicta intervenire debeat osculum pacis, & promissio
corporalis juramento roborata per ipsum recipiendum, quod pare-
bit regulis, & ordinamentis prædictis præsentibus, & quod non erit
contrarius honori dictæ matriculæ, & quod comparebit sponte ad
congregationes singulas faciendas de collegatis dictæ matriculæ juxta
suum posse. Et statim tempore receptionis teneatur suis expensis da-
re potum, & confectiones omnibus de matricula præsentibus. Item
volumus, quod dicto Priori in prædictis, & infrascriptis præsentis
ordinamento annexis obedire debeant, tam bajuli, quam tubatores
nostri comunis, sub pœna x. solid. denar. pro quolibet contrafacien-
te, & qualibet vice, & nostrum regimen possit, & debeat in his,
ad petitionem Prioris, interponere partes suas, & dare consilium,
auxilium, & favorem vinculo sui juramenti, & pœna x. libr. den.
de suo salario, & hæc omnia facere efficaciter observari. Item con-
cludendo disponimus, quod quando contigerit, aliquem de dictis
collegiatis mori, teneantur, & debeant omnes, & singuli interese
ad honorandum funus ejus cum cereo magno matriculæ, & can-
delis. Et quilibet de ipsa matricula moriens teneatur ipsi matriculæ
relinquere unum cereum à xx. solid. & etiam unam libram candela-
rum distribuendarum inter ipsos, tempore sepulturæ, de quibus ce-
reis congregandis fiat, & habeatur unum pulcrum cereum pro dicta
matricula tenenda ad funus, & sepulturam prædictam, & semper
aliqui per Priorem matriculæ deputentur, qui teneantur levare cor-
pus dicti mortui, & ad sepulturam portare. Et prædicta locum
non habeant, nec intelligantur in officialibus forensibus nostri co-
munis ad officia deputatis, vel deputandis, quantum ad ea, quæ
ad ipsorum, & cujuslibet ipsorum spectarent officium, nec etiam
in extraordinariis scripturis, quæ fierent sine rogatione Notarii.

De contractibus celebrandis cum presentia duorum Notariorum.

CAP. L.

Item statuimus, & ordinamus, quod in quibuslibet contractibus celebrandis, & fiendis, seu percelebrabuntur, & fieri contigerint in Terra Montis Sancti, & ejus territorio à xxv. libr. supra, seu de re valente ultra xxv. libr. denar. debeant interesse duo Notarii, quorum unus scribat, & alter subscribat, poena cujuslibet contrahenti Notario C. solid. denar. cujus poenae medietas sit communis Monti Sancti quarta accusatoris, & alia quarta matriculae Notariorum, ut praedicta faciant observari. Et possint à quolibet accusari, & habeat dictam quartam partem. Addicientes huic Statuto, quod quilibet ipsorum Notariorum, tam scribentis, quam subscribentis ipsorum supervivens mortui, possit, & valeat, ac etiam teneatur contractum publicare, & publicatio subscribere debentis valeat mortuo debente scribere, & publicatio debentis scribere pleno jure, & effectum sortiatur, & quilibet Notarius rogatus de contractibus praedictis cum subscriptione Notarii debentis subscribere, teneatur, & debeat cuilibet partium contrahentium petenti dictare copiam substantialium suis expensis, poena praedicta; & Potestas, & Officiales dictae Terrae cogant, & cogere possint, & teneantur de facto praedictos ad praedicta faciendum ad petitionem petentis, poena x. libr. denar. de suo salario.

F I N I S.

LIBER TERTIUS.



Periculum ibi cautius est agendum. Ideoque statuimus, & ordinamus, quod citationes in criminalibus hoc ordine fiant videlicet, quod accusatus, seu inquisitus primo citetur ex speciali commissione, cum cedula portanda per bajulum Communis Montis Sancti causam, & renorem processus formati super quo proceditur continente, & terminum eidem trium dierum proxime venturorum ad comparandum, & se excusandum, & defendendum ab accusatione, sive inquisitione, & contentis in qualibet ipsarum contra ipsum facta, formata, vel instituta; quam cedulam bajulus ei, contra quem proceditur, assignet, & dimittat; si accusatum, seu inquisitum non invenerit, saltem tunc in ostio domus, sive habitationis ponat, & infingat, & dimittat, praesente uno teste bonae famae: de qua citatione sic facta stetur, & credatur relationi bajuli, cui fuerit facta commissio cum praedicto teste bonae famae cujus testis nomen referatur per bajulum, & talis commissio, cedula, citatio, & relatio statim, & diligenter per Notarium malefactorum redigatur in actis. Et si in dicto termino persona sic citata non comparuerit, tunc transacto dicto termino procedatur ad banni dationem quandocumque absque notificatione, vel requisitione, quod bannum mandato Potestatis, sive Vicarii detur per Praconem, sono tubae praemisso alta voce, & detur publice in scalis Palatii Communis residentiae Potestatis, sive ejus Judicis. In quo banno dicatur, quod Potestas, seu Judex fecit eum exbandiri, propter illam contumaciam, et delictum, super quo primo fuerit citatus: quod delictum exprimatur in datione banni. Quod bannum detur in certa quantitate pecuniae, prout dicto Potestati, vel Judici videbitur, vel etiam in persona, secundum qualitatem delicti, de quo contra eum proceditur, et in dicto banno assignetur ei terminus quinque dierum à die dati banni ad comparandum, et excusandum, et defendendum, et si infra terminum banni non comparuerit, et se non excusaverit, ex tunc habeatur pro confesso, et convicto, et testibus superato, et vere contumace, et possit diffinitive condemnari, non obstante aliqua notificatione banni, vel citatione non facta. Salvo tamen, quod si